CICERO

De Amicitia
Selections
Teacher's Guide

Patsy Rodden Ricks & Sheila K. Dickison

Bolchazy-Carducci Publishers, Inc.
Wauconda, Illinois USA

Editor
LeaAnn A. Osburn

Cover Design
Adam Phillip Velez

Cicero
De Amicitia Selections
Teacher's Guide

Patsy Rodden Ricks & Sheila K. Dickison

© 2006 Bolchazy-Carducci Publishers, Inc.
All rights reserved.

Bolchazy-Carducci Publishers, Inc.
1000 Brown Street
Wauconda, IL 60084 USA
www.bolchazy.com

Printed in the United States of America
2006
by United Graphics

ISBN-13: 978-0-86516-641-7
ISBN-10: 0-86516-641-2

Contents

Preface v
Large Size Text 1
Literal Translations 13
Points to Ponder with Answers 17
Sample Assessments 21
Discussion Questions 29
Annotated Bibliography 31

Selection A: Lines 1–107 [Sections V.17–VI.23]

Part 1: Lines 1–28

[V. 17] *Laelius.* Ego vos hortari tantum possum ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis; nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas.

[18] Sed hoc primum sentio nisi in bonis amicitiam esse non posse; neque id ad vivum reseco, ut illi qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum; negant enim quemquam virum bonum esse nisi sapientem. Sit ita sane; sed eam sapientiam interpretantur quam adhuc mortalis nemo est consecutus. Nos autem ea quae sunt in usu vitaque communi, non ea quae finguntur aut optantur, spectare debemus. Nunquam ego dicam C. Fabricium, M'. Curium, Ti. Coruncanium, quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Qua

re sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum; concedant ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient; negabunt id nisi sapienti posse concedi. **[19]** Agamus igitur pingui Minerva, ut aiunt. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequitas, liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas, libido, audacia, sintque magna constantia, ut ei fuerunt modo quos nominavi, hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quia sequantur quantum homines possunt naturam optimam bene vivendi ducem.

Part 2: Lines 29–43

Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos ut inter omnes esset societas quaedam, maior autem, ut quisque proxime accederet. Itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni: cum his enim amicitiam natura ipsa peperit, sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc praestat

amicitia propinquitati quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest: sublata enim benevolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. **[20]** Quanta autem vis amicitiae sit ex hoc intellegi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur.

Part 3: Lines 44–65

[VI.] Est autem amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio; qua quidem haud scio an excepta sapientia nil unquam melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Beluarum hoc quidem extremum; illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed

haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. **[21]** Iam virtutem ex consuetudine vitae sermonisque nostri interpretemur, nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur, virosque bonos eos qui habentur numeremus, Paulos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos: his communis vita contenta est: eos autem omittamus qui omnino nusquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet quantas vix queo dicere.

Part 4: Lines 66–87

[22] Principio, qui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, quae non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? Qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis aeque ac tu ipse gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo qui illas gravius etiam quam tu ferret. Denique ceterae res quae expetuntur opportunae sunt singulae rebus fere singulis;